BEDA VENERABILIS. PASSIO THOMAE ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS. VITA CATHARINAE
Österreich, 12. Jh. Seite 82r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift



monachus aduenirет ab omnibus tanquam dei famulus excipe gaudent
rent. Et si uitinere pergens inueniret accurrebant. Et flexa
ceruice: ut manu signari ut ore illius benedici gaudebant.
uerbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum prebe
bant. Sed et diebus dominicis ad ecclesiam siue ad monasteria
certatim non reficiendi corporis sed audiendi sermonis dei
gratia confluebant. Et si quis sacerdotum in uicum forte deueni
ret mox congregati in unum uicani uerbum uite ab illo expe
tere curabant. Nam neque alia ipsis sacerdotibus aut clericis
uicos adeundi quam predicandi infirmos uisitandi et ut bre
uiter dicam animas curandi causa fuit qui in tantum erant
ab omni auaricie peste castigati ut nemo territoria ac
possessiones ad construenda monasteria non a potestatibus
seculi coactus acciperet. Que consuetudo per omnia aliquanto post hinc
tempore in ecclesiis nordanhumbrorum seruata est. XVII.

Eodem autem anno dominice incarnationis dc. lx. iiii.
facta est eclypsis solis die tercio mensis mai hora circiter
decima diei quo et anno subita pestilentie lues de popu
latis prius australibus brittannie plagis nordanhumbrorum
quoque prouinciam corripiens atque acerua clade diuitius longe
lateque deseuiens magnam hominum multitudinem strauit.
Qua plaga prefatus domini sacerdos tuda raptus est de mundo et
in monasterio quod uocatur pegnalech honorifice sepultus.